

Quia comederunt Jacob: * et locum ejus desolaverunt.

Ne memineris iniquitatumstrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ: * quia pauperes facti sumus nimis.

Adjuva nos, Deus, salutaris noster; et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos, * et propitius esto peccatis nostris, propter nomen tuum.

Ne forte dicant in gentibus: Ubi est Deus eorum? * et innotescat in nationibus coram oculis nostris.

Ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est, * introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum.

Secundum magnitudinem brachii tui, * posside filios mortificatorum.

Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum: * improprium ipsorum, quod exprobraverunt tibi, Domine.

Nos autem populus tuus, et oves pascuæ tuæ, * confitebimur tibi in sæculum.

In generationem et generationem * annuntiabimus laudem tuam.

Gloria Patri.

Deinde finito Psalmo, et repetita antiphona, Pontifex, deposita mitra, surgit, et stans versus altare dicit:

OREMUS.

Nostrorum tibi, Domine, curvantes genua cordium, quæsumus, ut bonum quod in nobis a te requiritur, exequamur, scilicet, ut prompta tecum sollicitudine gradientes, discretionis arduæ subtile judicium faciamus, ac misericordiam diligentes, clareamus studiis tibi placitæ actionis. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

OREMUS.

Mentibus nostris, quæsumus, Domine, Spiritum sanctum: benignus infunde, quatenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis justitiam, ut hic à te in nullo dissentiat voluntas nostra; sed semper rationabilia meditantes, quæ tibi sunt placita, et dictis exequamur, et factis. Per Dominum.... in unitate ejusdem.... R. Amen.